

praecedentis ab iisdem Patribus habiti. Id porro moris erat constantis in Ecclesia, ut tales literae Romani Pontificis in Concilio, si aderat, legerentur. Praesertim cum in eo tertio Concilio de eadem re ageretur, nempe de baptismo haereticorum, et circa id sententiae Episcoporum quaererentur. Abstineri proinde non poterat Cyprianus a legendis literis Stephani. Verum constat ex actis eius Concilii lectas ab initio fuisse literas Cypriani de baptismo haereticorum ad Ianuarium, huiusque responsa; hic porro locus erat lectioni literarum Stephani, eamque res ipsa poscebat; verum harum litterarum nulla fit mentio. Ignorabatur ergo adhuc responsum Stephani; nulla ergo Cypriano ratio aderat excandescendi in Romanam Sedem: ergo. Ita auctor dissertationis editae Parisiis MDCCXXIV De Dissidio inter S. Stephanum et S. Cyprianum.

b) Verissima est sententia Hieronymi si ratio habeatur tantum characteris episcopalis, non iurisdictionis: id porro tantum considerat Hieronymus qui par omnibus meritum et Sacerdotium attribuit, quique Episcopos spectat in comparatione cum presbyteris et diaconis quos postremos probare vult illis esse inferiores. Probat autem praestare presbyteros diaconis, quia illi corpus et sanguinem Christi conficiunt, Episcopos vero utrisque, quia et ordinationem faciunt. Quae quidem probationes ex sola potestate ordinis desumptae sunt, ostenduntque eam tantum Hieronymum habuisse prae oculis, cum haec doceret. Inquit porro: « Si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe »; nimirum obiciebat adversarius consuetudinem quamdam Ecclesiae Romanae, qua videbantur diaconi presbyteris praeferrari (quod testimonio nempe diaconi presbyteri ordinarentur, et absente Episcopo diaconi inter presbyteros sederent), quae tamen consuetudo probabat nihil: respondit Hieronymus, si res auctoritate, argumento scilicet petito ex consuetudine Ecclesiae, decidenda sit; maior est auctoritas orbis quam Urbis; auctoritas enim consuetudinis eo per se maior est quo est amplior, si nihil contra ipsam a suprema potestate decretum sit; orbis autem universus Christianus praxi sua probabat diaconos esse presbyteris inferiores. Haec autem sententia Hieronymi secundum subiectam materiam intelligenda est; cum nimirum comparatur praxis totius orbis Christiani cum praxi quadam Cleri Romani, quam nec Episcopus Romanus probabat, ut de sessione diaconorum inter presbyteros indicat ipse Hieronymus; vel cum comparatur praxis totius orbis Christiani, ex qua evidenter doctrina aliqua confirmatur, cum praxi Ecclesiae Romanae ex qua nihil certe pro utraque opposita sententia colligi potest. In huiusmodi casibus principium illud: *auctoritatem omnium praevalere auctoritati unius*, quod in ordine naturali verissimum est, urgeri profecto potest.

c) Sixtus III vero illud dicit quod iam Apostolus docuerat 1 Cor. XXII, 21. *non posse caput dicere pedibus: non estis mihi necessarii*. Videlicet caput a suo corpore sustentatur eo quod caput sine corpore esse nequit, quia adiuvatur a ceteris ministris in exercitio suae auctoritatis, ipsaque obedientia prompta subditorum faciliorem et suaviorem efficit administrationem totius corporis.

Contra adeo manifestam veritatem tot argumentis ex Scripturis et testimoniis traditionis, quae haecenus attulimus, firmatam, quid opus erat Spelmannum afferre in medium responsonem quamdam Abbatis cuiusdam Banchoensis, cui nomen Dinothus? Is quippe in eunte seculo VII ita ad Augustinum Angliae Apostolum scribit (Migne (1) P. L. v. 80, pag. 22.): « Notum sit et absque dubitatione vobis quod nos omnes sumus et quilibet nostrum obedientes et subditi Ecclesiae Dei, et Papae Romae, et unicuique vero Christiano pio ad amandum unumquemque in suo gradu in caritate perfecta, et ad iuvandum unumquemque eorum verbo et facto fore filios Dei (sic): et aliam obedientiam quam istam non scio debitam ei quam vos nominatis esse Papam, nec esse Patrem Patrum, vindicari et postulari: et istam obedientiam nos sumus parati dare et solvere ei, et cuique christiano continuo. Praeterea nos sumus sub gubernatione episcopi Caerlegionis super Osca, qui est ad supervidendum sub Deo super nobis, ad faciendum nos servare viam spiritualem ». Quid enim ex ignorantia huius monachi colligas nisi rem catholicam in Anglia tunc temporis adeo fuisse afflictam, ut sane oportuerit mitti eo a Romana Sede Apostolos qui ipsam restituerent, doctrinaeque catholicae notitiam integram traderent, ut factum est a S. Gregorio?

#### THESIS XX.

*In Primatum Romani Pontificis insane furentes aut in ecclesiastica antiquitate prorsus hospites se produnt, qui contendunt plurima iura, quibus nunc fruitur Romana Sedes, ab Isidoriana Decretalium collectione ortum habuisse, aut antiquitus Romani Pontificis curam ad solum Occidentem iure patriarchico spectasse.*

I. Qui veritatem historicam sibi perspectam negat eo quod adversae parti favet, insane furere dicendus est: alterutrum ergo dicendum aut furiosos esse aut in historia peregrinos qui id affirmant quod indicamus in thesi. Huius falsitatem argumentis historicis de-

(1) Dolendum est inter Notas aut Praefationes huius optimae Bibliothecae Patrum irrepsisse identidem scripta quaedam aliena a doctrina catholica: quae imprudentibus lectoribus possunt officere.

monstrabimus. Itaque collectio Canonum sub nomine Isidori Mercatoris prodiit seculo IX (anno circiter 845 aut 46. Cf. Ballerinius Fratres Operum S. Leonis Tom. III, P. 3, c. 6, §. 4<sup>o</sup> et Antonium Zaccaria in Antifebronio p. 1<sup>a</sup>, Diss. III, c. 3. seqq.) Moguntiae, eiusque auctor probabiliter est ille Benedictus Levita qui confixit capitula Adriani ad Engelramnum. Non omnia in ea collectione reprobandur. Falsitatis arguitur potissimum pars prima quae decretales Romanorum Pontificum continet a Clemente ad Melchhiadem, cum aliis in tertia parte usque ad Siricium. Eas decretales vel ipse auctor huius collectionis effinxit, vel ab alio iam effictas ipse adoptavit. Porro ea aetate Leo IV (anno 847 Pontificatum iniiit) ad Episcopos Britanniae scribens, docensque quibus decretalium regulis et Conciliorum Canonibus Ecclesia Romana uteretur, ea depromit singillatim quae in collectione Adriana, duobus aucta additamentis reperiuntur, nullamque profert decretalem quam Isidoro debemus. Cf. Ballerinius ibid. c. 2, n. 5.

In iis vero decretalibus ab Isidoro suppositis affirmantur iura Primatus Romani, universalis eius et suprema potestas. Aiunt ergo per decretum Isidorianum bona fide susceptum factum esse ut disciplina Ecclesiae mutaretur, Romanus Pontifex ingentem potestatem super omnes et omnia sibi usurparet, ac induceretur forma illa monarchica quam Romanae Sedis adulescentes tuentur. Atqui nihil est certius quam quod Isidorus, licet supposuerit falsa monumenta, nihil tamen dixerit novi in re alicuius momenti, nullumque doctrinae caput circa potestatem Romani Pontificis suis ille decretalibus asseruerit, quod legitimis antiquioribus monumentis non possit abunde demonstrari.

II. Sane 1) intrinsece repugnat quod Isidorus mutationes tot ac essentielles induxerit in disciplina et regimine Ecclesiae, quot et quales sunt, quas reprehendunt adversarii, et Ecclesia universa latina acceptaverit eam collectionem quin suspicaretur suppositionem, quin reclamaret. Ergo doctrina Isidoriana non erat nova, quamvis novos testes eius adduceret. Et re quidem vera 2) quod spectat ad auctoritatem Romani Pontificis quaenam novitates ab eo inductae sunt? Hae potissimum recensentur: a) Romanum Pontificem esse Episcopum Ecclesiae universalis: b) causas omnes maiores ad Sedem Apostolicam referendas esse: c) ius excipiendi appellationes a quovis iudicio Episcoporum: d) causas Episcoporum a solo Romano Pontifice definitive iudicandas esse: e) non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari: f) ius ex his ortum mittendi quocumque legatos suos: ex quibus monarchicum regimen Romani Pontificis constitutum esse concludit Febronius c. III, §. 9, n. 10.

Atqui a) ex allatis Th. XIII, evidens est titulum *Episcopi oecumenici et Episcopi Ecclesiae catholicae* pluribus seculis ante Isidorum Romano Pontifici collatum esse; nec opus est alia addere. b) Certissimis monumentis constat hunc morem obtinuisse primis Ecclesiae seculis ut a qualibet Ecclesia Sedes Romana consuleretur super negotiis religionis. Id testatur Hieronymus inquit ad Ageruchiam epist. 123<sup>a</sup>, n. 10: « Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis consultationibus responderem etc. » Atque hanc esse antiquam et legitimam praxim docent Innocentius I epist. 37<sup>a</sup> ad Episcopum Nucerinum: « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta maiorum, omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet ». Cf. et Iustinianum in Cod. De Summa Trinit. Tit. 3. Ad causas maiores quod attinet, ratum antiquitus fuit ut eae ad Sedem Apostolicam referrentur. Testis huius praxis est Ambrosius, qui ad Theophilum Alexandrinum scribens, cui a Synodo Capuana cognitio demandata fuerat in causa Antiochenae Sedis a pluribus Episcopis occupatae, ait (epist. 56<sup>a</sup>, n. 7.): « Referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum romanae sacerdotem Ecclesiae, quoniam praesumimus te ea iudicaturum quae etiam illi displicere nequeant ». Testis huius praxis est rursus Innocentius I epist. 2<sup>a</sup> ad Victricium, n. 6: « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale referantur ». Quocirca laudat Milevitano Patres epist. 30<sup>a</sup>, n. 2. inquit: « Diligenter et congrue apostolici consultiis honoris arcana (honoris inquam illius quem praeter illa quae sunt extrinseca, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super anxiiis rebus quae sit tenenda sententia; antiquae scilicet regulam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam »: de iuribus scilicet Primatus non solius Patriarchatus occidentalis agebatur. Quod et S. Leo epist. 5<sup>a</sup> ad metropolitanos Illyrici confirmat n. 6: « Si quae vero causae graviores vel appellationes emeruerint, eas sub ipsius (Anastasio scilicet vicarii sui) relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur ». His accedit Theodorus Studites epist. 86<sup>a</sup>, L. II. ad Michaellem Imperatorem: « Si quid est eiusmodi (in quaestione fidei) de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra pie a Patriarcha posse dissolvi, iubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus velut divinarum aemulatrix ad communem utilitatem a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna

traditione transmissus mos fuit. Haec enim, Christi aemule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram etc. »

Inter causas maiores locum tenent causae episcoporum, eorum confirmatio, translatio, iudicia etc. Porro quoad iudicia iam vidimus in Th. XVII quam partem in his semper habuerit Romanus Pontifex. Quoad confirmationem, non quidem primis seculis omnes Episcopos actu Rom. Pontifex confirmabat, sed pro Oriente generatim solos Patriarchas et Primate, qui deinde alios subiectos confirmarent. Huius praxis exemplum suppeditant Damasus epist. 5<sup>a</sup> ad Ascholium, Graeci Episcopi in Actione X Synodi Chalced. probantes institutionem Maximi Episcopi Antiocheni quia R. P. Leo indicaverat ipsum praeesse Ecclesiae Antiochenae; tum Leo ipse epist. 104<sup>a</sup> ad Marcianum Augustum affirmans Anatolium assensu suo obtinuisse Constantinop. sedem, atque R. P. Simplicius epist. 17<sup>a</sup> ad Acacium manifeste significans Episcopum Alexand. a Romana Sede confirmandum esse.

Quoad depositionem vero Episcoporum praesertim primarum Sedium iam Eusebianos monuerat Iulius I: oportere primum scribere Romam ut hinc quod iustum est decernatur. Et sane Orientales depositionem Timothei Episcopi Beryti a Damaso flagitarunt (epist. Damasi IX), Nestorium Caelestinus deposuit, qui sententiam depositionis in eum tulit, quam Patres Ephesini exsecuti sunt Act. I. aientes: « coacti per sacros canones et epistolam SS. Patris nostri et ministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus ». (cf. verba Episcopi Caesaraeae Cappadociae Act. II). Et adeo a sententia Caelestini res tota pendebat, ut Cyrillus alique Orientales non putarint opus esse Concilio; et eo convocato, cum prorogatio temporis Nestorio statuti ad resipiscendum videretur concessa, nihilominus Orientales consuluerint Romanum Episcopum, an Nestorium resipiscentem suscipere deberent post tempus ab ipso Caelestino in literis prius datis constitutum (Epist. Caelestini X ad Cyrillum). Gensebant scilicet sententiam Romani Episcopi adhuc valere, nec contra eam quid posse omnes Patres. Idem ius in sua Synodo exercuit Felix III (epist. 4<sup>a</sup>) deponens Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, et (epist. 6<sup>a</sup>) excommunicans et deponens Acacium Episcopum Constantip.

Episcoporum transitum ab una sede in aliam interdixerat canon apostolicus XIV citra necessitatem; absolute vere prohibuit Synodus Nicaena cn. XV. et Sardicensis cn. I. Cum ergo esset lex universalis Ecclesiae, ab ea auctoritas suprema sola poterat dispensare. Et

sane auctoritate et iussu Romani Pontificis factum est ut liceret Corinthiis habere Episcopum Perigenem, qui ordinatus fuerat pro Ecclesia Patrarum (Socrates L. VII, c. 36, cf. epist. XV. Bonifacii I). Ita quoque ut posset evehi ad thronum Constantinopolitanum Proclus, qui ordinatus fuerat pro Ecclesia Cyzicena, exhibitae sunt a Theodosio Imperatore literae Caelestini, quae id permittebant (Socrates L. VII, c. 40).

Atque haec satis superque sunt ut intelligatur an huiusmodi ius, quod causae maiores ad S. Sedem referantur, sit invectum ab Isidoro (Cf. Zaccaria Antifeb. p. II, cc. 2, 3, 4, 5, 6).

c. d) Ad ius appellationum quod spectat et ad ius iudicandi definitive causas Episcoporum, iam liquet ex dictis in Th. XVII. an utrumque ab Isidoro confictum sit. Constat enim Episcoporum Synodorumque provincialium sententias non fuisse habitas ut inappellabiles, sed appellabiles; ideoque penes solum Romanum Pontificem fuisse potestatem iudicandi definitive. Idque docet Gelasius epist. XIII ad Episc. Dardaniae.

e) Falsum est quod commentum sit Isidori eiusque aetate primum caeperit ea lex, quod non oporteat praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari. Etenim Socrates L. II, c. 17. refert hanc sententiam Iulii ad Eusebianos, licet in eius epistola *κατα βήτος* non occurrat ita saltem indefinite: « Cum ecclesiastico canone interdictum sit ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur ». Porro quidquid Ecclesiae decernebant, in Synodis statuebant. Cf. Sozomenum L. III, c. 10. Auctor vero Historiae tripartitae L. IV, c. 40. ait « non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari », quae sunt verba ipsa Isidori. Lucentius autem Romanae Sedis Legatus in Synodo Chalcedon. Act. 1. Dioscorum reprehendit: quia « Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, aut factum est ». Theodorus Studites epist. 33<sup>a</sup>, L. I. scribens ad Leonem III de duabus Synodis Constantinopoli habitis pro negotiis particularibus eius Ecclesiae, ait ausos eos fuisse habere propria auctoritate Synodum haereticam, cum neque orthodoxam te nesciente tenere debuissent secundum antiquam consuetudinem ». Itaque falsissimum est hanc legem excogitatam et invectam esse ab Isidoro. Ceterum haec lex non solas Synodos oecumenicas spectabat; Socrates enim eam refert occasione Synodi non oecumenicae. Sed habita ratione verborum Socratis lex ita accipienda videtur, ut nulla Synodus legem aliquam novam condens haberetur vel vim obtineret sine auctoritate Romani Pontificis, quod aequissimum est. Hinc Stephanus iunior respondebat Iconoclastis (Cf. eius vitam penes Migne sec. VIII): « Quanam ratione

vestram Synodum oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Episcopus, quanquam canone praescribitur res ecclesiasticas absque Papa Romae constitui non debere». Quapropter Diaconus Ennodius in libello pro defensione Symmachi Papae probato in Synodo romana, adversariis obiicientibus: «Ergo concilia Sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia praesentiam Papae non habent, valetudinem perdiderunt?» respondet: «Legite insanissimi aliquando in illis praeter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de maioribus negotiis ad collationem, si quid occurrerit, praefatae Sedis arbitrio fuisse servatum». Ideo non opus est ut dicamus quempiam metropolitanum haud potuisse Synodum suam cogere nisi prius licentiam obtinuerit, et sententiam exploraverit Romani Pontificis. Nam satis erat vel Synodos per legatos Romanae Sedis haberi, vel post Episcopalem sententiam, si aliquid novi statutum erat aut de causis agebatur maioribus, relationem rei gestae mittere ad Romanam Sedem. Unde Primates Africae in synodica sua ad Rom. Pont. Theodorum I: «Antiquis regulis, inquit, sancitum est, ut quidquid, quamvis remotis vel in longinquo positus ageretur provinciis, non prius *tractandum* (h. e. deducendum in praxim) *vel accipiendum sit* nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum». Id porro fieri poterat sive immediate, ut Patres Sardicenses in litteris ad Iulium aiebant: «optimum esse et congruentissimum si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes»; sive mediate per Episcopos praecipuarum Sedium ad quos gesta primum referrentur: ideo enim Leo epist. 14<sup>a</sup> ad Anastasium Thessalonicenses, c. 11. aiebat: «magna dispositione provisum esse ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, *per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret*». Porro in hac re ius ab usu distinguendum est: ius quidem est in Romano Pontifice exigendi ut e quacumque Synodo rerum in ea gestarum relatio ad ipsum mittatur; usus vero pro gravitate negotiorum, pro facilitate transmittendi relationes huiusmodi, pro fiducia qua penes Apostolicam Sedem gaudeant Metropolitanis, aliisque de causis, diversus esse potest. Tandem e) potestatem mittendi legatos in quasvis orbis catholici partes iam vidimus Th. XVII antiquitus esse usurpatam.

**Coroll.** Ergo quoniam haec iura, testantibus ipsis adversariis, supponunt potestatem Romani Pontificis supremam et monarchicam in Ecclesia, talis dicenda est semper fuisse habita et esse potestas eiusdem.

III. Verum quia praeterea solet quaeri an primis Ecclesiae seculis h. e. aetate antenicaena viguerit potestas Primatus, et an id historice demonstrari possit; advertimus primo hanc quaestionem duplicem esse, facti nempe, et immediatae probationis huius facti.

Prima quaestio solvi potest etiam independenter ab huiusmodi probatione, tum argumento a priori ducto ex verbis Christi instituentis Primatum quae semper credita sunt in Ecclesia, tum a posteriori ex ea persuasionem et agendi ratione quae subsequentibus seculis apparet, quaeque nequit esse nisi continuatio praecedentis persuasionis et rationis agendi.

Alteram vero quaestio, si affirmative solvitur, solvenda est allatis factis vel monumentis historicis, si qua adsunt eius aetatis, quibus exercitium Primatus, eiusque fides in universa Ecclesia sese manifestant. Quae facta vel monumenta si deessent, non exinde nutaret certitudo facti illius quod aliunde certum est. Verum satis reliqua sunt monumenta vel facta illius aetatis quae testantur exercitium Primatus eiusque fidem in universa Ecclesia. Haec, quorum quaedam iam retulimus, satis erit heic breviter recensere.

Itaque recolatur 1<sup>o</sup> quod Ecclesia Corinthiorum, adhuc vivente uno Apostolo qui Ecclesias Asiae regebat, ad Romanam Sedem sive ad Clementem Romanum Episcopum recurrit pro componendis dissensionibus suis. 2<sup>o</sup> Quod Ecclesia Romana ab S. Ignatio in epistola ad Romanos appellatur *Ecclesia praesidens*. 3<sup>o</sup> Quod idem Ignatius alia prorsus ratione scribit ad Romanam Ecclesiam ac ad alias. His enim plura mandata servanda suggerit, illi nullius mandati mentionem facit, has docet, illam minime, sed ei Ecclesiam Syriae commendat. 4<sup>o</sup> Quod Romanus Episcopus a Tertulliano secundum catholicorum mentem (Cf. dicta pag. 370.) vocatur (De Pudicitia c. 1.) *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum*. 5<sup>o</sup> Quod Dionysius Corinthiorum Episcopus in epistola ad Soterem Romanum Episcopum (Euseb. H. E. L. IV, c. 23.) testatur «hanc esse consuetudinem Romanae Ecclesiae iam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiant, et Ecclesiis quam plurimis necessaria vitae subsidia transmittant». Inter quae beneficia connumerandae sunt epistolae tum Clementis tum Soteris quae singulis dominicis in Ecclesia Corinthiaca legebantur, ut idem Dionysius testatur ibidem.

Recolatur 6<sup>o</sup> Montanistas in Phrygia damnatos ad Romanam confugisse Sedem, ut ab ea pacem haberent et sic catholici censerentur. Colligitur id ex verbis Tertulliani adv. Praxeam c. 1 «Idem (Praxeas nempe) tunc episcopum romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Prisca, Maximillae, et ex ea agnitione pacem Ec-